BIBLIOTHEQUE ... MAN.

ac ordinatur. Sed ea sponte in infirmitate cadit. et suis surgere viribus non valet. Qui
cum se nil ex se esse considerat: discit procul dubio cuius adiutorium requirat. Quem
tamen superna dispensatio captum quasi a fouea uehit. quia hunc infirmitate
cognita ad ueniam reducit. Leene itaque more propter superbiam ad superiores par
tes in cauea remeat. qui cum de uirtute extollitur. lapsus ad desideria in
humilitate religatur. Quia enim per propria presumptione pierat. mira pietate
agitur. ut in infirmitatis sue iam noticia clausus uiuat. Quod quia sanctus uir cre
bro accidere hominibus conspicit. nostri in se periculi uocem sumit. ut cum nos eius
fletus agnoscimus: que [?] nobis sint flenda discamus. Sed cum mentem nostram elatio
erigit. summa a nobis tanti compunctio amoris recedit. Cum uero superna nos gratia
uisitat. statim ad sui desideria instigat. Unde apte subiungitur. Rursusque
mirabiliter me crucias. Cum auctorem relinquimus. nec ipsa ullatenus destitutio
nis nostre damna sentimus. Quo enim longe nos conditor deserit. eo mens insensi
bilibus obdurescit. Nulla que dei sunt diligit. nequaquam superna concupiscit. et quia
amoris intimi calorem non habet. frigida deorsum iacet. ac miserando modo fit
cotidie tanto securior quanto peior. Cumque unde sit lapsa non meminit. et sup
plicia secutura non metuit. quantum sit lugenda nescit. At si afflatu sancti spiritus
tangitur. ad considerationem protinus sue perditionis euigilat. in celestium inquisitione
se excutit. ardoris summi estibus inardescit. que se circumprimunt damna con
siderat. et plorat proficiens que prius leta torpebat. Bene ergo conditori dr. rursus
mirabiliter me crucias. quia omnipotens deus unde mentem nostram uisitans ad amorem sui
erigit. inde hanc per lacrimas grauius affligit. Ac si aperte dicat. Relinquendo
me nequiter afficis. quia insensibilem reddis. Sed cum reuerteris crucias. quia dum te
insinuas. mihi me quam sim lugendus demonstras. Unde et nequaquam se pena
uti sed mirabiliter asserit cruciari. quia dum per fletum mens ad summa rapitur. compunc
tionis sue penam gaudens miratur. et libet affligi quia afflictione sua se conspicit
ad alta subleuari. Sepe autem cum nos a sancti desiderii exercitatione torpescere
superna pietas cernit exempla se sequentium nostris obtutibus obicit. ut mens per
otium remissa quo in aliis uigilantiam prouectus considerat: eo in se pigredinem torpo
ris erubescat. Unde et recte subiungitur. Instauras testes tuos contra me et mul
tiplicas iram tuam. et pene militant in me. Testes enim dei sunt. qui per exercitium sancti operis
testantur que electos secutura sint premia ueritatis. Unde hos quoque quos pro
ueritate passos agnoscimus greco eloquio martyres id est testes uocamus. Et per iohan
nem uoce angelica dominus dicit. In diebus antiphas testis meus fidelis. qui occisus est
apud uos. Sed testes suos contra nos dominus instaurat. cum electorum uitam prauitati
nostre contrariam ad arguendos nos instaurandosque multiplicat. Contra nos ergo tes
tes illi instaurantur. quia cuncta que agunt studiis nostre prauitatis aduer